



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118316

§. 107. Alter Norimbergensis Conventus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

§. CVII.

Sæcul. XV.
A. C. 1438.*Alter Norimbergensis Conventus.*

Hoc anno in eadem Norimbergensi civitate secundus agebatur Conventus. Aderant (præter Legatos Basileensium, quorum Princeps erat Patriarcha Aquilejensis) Legati ab Eugenio missi, nempe, Nicolaus Albergatus Cardinalis S. Crucis; Joannes Archiepiscopus Tarentinus; Petrus Diniensis Episcopus; Joannes de Turrecremata Hispanus, postea S. R. E. Cardinalis; & Nicolaus de Cusa Germanus. Albergatus mox, ubi nihil in eo conventu agi perspexit, in Italiam rediit, Ferrariensi Synodo adstiturus. Porro in coetu isto proponebatur, optimum fore, si tertius eligeretur locus celebrando Concilio universali commodus, in quo & Ferrarienses, & Basileenses cum Græcis, & summo Pontifice convenirent. Verum sententiam hanc Basileensium Legati vehementer improbarunt. Intelligebant etenim, se huic consilio acquiescere non posse, quin ipso facto in Synodi suæ dissolutionem consentirent, ad cujus tamen auctoritatem diutius tuendam edito etiam juramento sese obstrinxissent. Quapropter Principum Oratoribus responderunt: Nullam ea super re a Synodo accepimus potestatem, unice postulamus responsum super iis, quæ pridem jam postula-

Sæcul. XV. **A.C. 1438.**
 stulavimus, nimirum ut decreta adversus
 Eugenium a Patribus condita recipere-
 tur, & Synodi securitati consuleretur. Ad
 legati eis haud aliud in responsis dabant,
 quam Cæsarem & Principes suo tempore
 Concilii Patribus per suos nuntios senten-
 tiam declaraturos.

§. CVIII.

Hujus Conventus decretum.

Ad. Patrit.
 #.3.p.1558.

Ceterum Regis Francorum Oratores Ba-
 fileensibus auctores erant, ut tres il-
 las civitates, quas jam olim elegerant,
 nempe Basileam, Avenionem, & Sabou-
 diam denuo proponerent, si spem habe-
 rent, eas a Papa, & Græcis acceptandas; si
 vero hi dictas urbes rejicerent, plures alias
 nominarent, & harum nonnullas, quas Pon-
 tifex juste recusare non posset. Verum
 nec hoc consilium Basileensibus arrisit, eo-
 rumque Deputati in bivio hærebant, nec
 quidquam hac in re decidebant, donec
 Imperatoris & Principum Germaniæ O-
 ratores advenirent. Hi vero Basileam
 ingressi, Synodi Patribus declarabant,
 Germanos quidem haud dissertere, concilium
 Basileæ congregatum esse œcume-
 nicum, Imperatorem quoque illis, qui ei-
 dem assisterent, plenam spondere securi-
 tatem; de cetero tamen omnes Prælatos,
 Principes